

Wf  
499



11.53

I  
M

I  
C

P R



R. 65, 46

ORATIO LVGVBRIS

In obitum

ILLVSTRISSI-  
MÆ PRINCIPIS AC  
DOMINAE, D. SOPHIAE,  
DVCIS SAXONIAE, &c.  
natæ ex Illustriss. familia VVir-  
tembergica :



ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS AC DOMINI, D. FRIDE-  
RICI G V I L I E L M I, D V C I S  
Saxoniae, Landgrauij Thuringiae, Marchionis Mis-  
niae, &c. Domini nostri clementissimi,  
coniugis lectiss.

*Habita publicè in Ienensi Academia Prid. Non. Au-  
gusti in renunciatione XVIII.  
Magistrorum*

à

PRODECANO COLLEGII PHILOSOPHICI  
ZACHARIA BRENDELIO MED.  
Doctore, Physices Professore  
Cui adiuncta est



*Intercessio in eodem Actu pro more habita à M.  
V V O L F G A N G O H E I D E R O, Pro-  
fessore itidem publico. Anno  
1590.*



J E N Æ

Typis Tobia Steinmanni.



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

A  
M  
n  
G  
P  
nu  
tu  
ni  
co  
ha  
fa  
si  
m  
au  
ar  
p



A D I L L V S T R I S S I -  
M V M P R I N C I P E M E T D O M I -  
N V M, D. F R I D E R I C V M G V I L I -

LMVM, Ducem Saxoniae, Landgrauium Thu-  
ringiae, Marchionem Misniae, &c.

Dn. Clementis.

ZACHARIAE BRENDELII

Doct. Praefatio.



LEXANDRVM REGEM,  
Princeps Illustrissime, Clementis-  
sime Domine, accepimus non nisi  
ab Apelle pingi, à Lysippo fingi vo-  
luisse, quod obscuriorum homi-  
num artem dedecoris sibi plus quàm gloriæ allas-  
turam esse putaret.

Idem de me quoq; fortasse statuet quispiam,  
nimirum in inopinato ac flebili Illustrissimæ  
coniugis tuæ SOPHIAE beatæ memoriæ, ex  
hac vita decessu vt dolerem ac lugerem, ius  
fasq; fuisse: vt in publicum prodirem, & Illustris-  
simæ PRINCIPIS oratione mea parentarem,  
mihî minimè licuisse: Illud pietatis fuisse, hoc  
audaciæ: Illud ad salutem & emendationem me-  
am conduxisse, hoc piè defunctæ PRINCIPIS  
gloriam quodammodo obscurare potuisse.

A 2

Fit

Fit enim fere, vt, qui in orationem aliquam huiusmodi incidunt, si non satis disertè scripta videatur, non tam in oratore ingenium facundiamq; desiderent, quàm vbertatem & splendorem in rebus ipsis requirant, dicendiq; materiam ab eo, qui dixerit, studiosè vndiq; conquisitam: ob causæ autem ipsius sterilitatem non inuentam esse suspicentur.

Ego vero, Illustrissime Princeps, cum lustuosissimo illo tempore, pro ratione muneris mei, verba publicè mihi facienda essent, peccatum me arbitrabar, si de alia quauis re, quàm de ea ipsa, quæ tum omnium hominum mentibus penitus infederat, differere in animum induxissem.

Et quanquam facilè intelligebam esse modestiæ meæ de tanta re tacere potius, quàm pauca dicere, præsertim in exiguitate illa temporis, quod mihi ad me comparandum supererat, & in dolore illo meo, qui omnem mihi dicendi facultatem, si qua in me vnquam fuit, ademerat: Cogitabam tamen & officij mei esse quantum damni hoc PRINCIPIS nostræ obitu tum publice vniuersis, tum priuatim singulis partim datum esset in præsens, partim in futurum tempus denunciaretur, ostendere: & pietatis ac gratæ mentis, Illustrissimæ domui Saxonicæ, in primis  
verò.

vero Celsitudinī tuæ tum *συμπάθειαν* meam reue-  
renter declarare, tum pro tot annorum liberalis-  
tate ac munificentia, qua me meaq̃ studia & in  
hac Salana sua, & in Patauina Italorum Acade-  
mia benignè iuuit & ornauit, gratiam, quam  
possem, memori mente persoluere.

Quam igitur orationem tunc habui, eam  
nunc Illustrissimæ Cels. T. humilimè offero, & vt  
studium atq̃ obsequium hac in parte meum cles-  
menter approbet demissè ac suppliciter oro.

Deus benigniss. veri omnis solatiij fons Spi-  
ritu fortitudinis Celsitudinis T. animum in hoc  
luctu & mœrore ita erigat & confirmet, vt mo-  
dum adhibere iustissimo dolori suo possit: ean-  
demq̃ vna cum reliqua illustriss. familia diu flo-  
rentem & incolumem seruet. Ienæ. a. d. X. Cal.  
Septemb. Anno a C. N. c. I. 3, I. 3. XC.

A S ORATIO

ORATIO PRO,  
DECANI DOCT.  
ZACHARIAE  
Brendelij.



TINAM DEO OPT.  
Max. visum fuisset, ut de felici poti-  
us puerperio Illustrissima PRIN-  
CIPIS NOSTRÆ, deq; incolu-  
mitate puerperæ gratias Deo agere, Illustrissi-  
mis autem PRINCIPIBVS, atq; adeo toti huic  
ditioni gratulari possemus, quàm ob inopinatum  
ac miserabilem Illustrissima PRINCIPIS ex  
hac vita decessum lamentari necesse haberemus.  
Nec verò dubito, quin si superstes fuisset, & Il-  
lustrissima familia subsidio, & presidio Ecclesiæ,  
& solatio afflictis fuerit futura. Nunc vero sub-  
itò erepta, totam Remp. tum Christianam, tum  
civilem orbem & debilitatam reliquit. Quod si  
cuiusquam mortem lugendi iusta nobis causâ fuit,  
in nullius certè iustior, quàm in hoc Illustriss. Prin-  
cipis nostræ obitu reperietur. Neq; enim ideo  
tantùm dolendum nobis est, quòd virtutum ea-  
rum præsidijs, quæ in ipsa summa fuerunt, privati  
sumus



sumus, sed etiam quòd DEI iram aduersus peccata nostra ex hoc tristissimo nobis documento agnoscere, & imminentes porro calamitates indidem presagire facile possumus. Quo loco non diffiteor auditores, me ad hoc dicendi munus, quòd Illustrissima PRINCIPIS supremo honori debetur, unum omnium minimè esse idoneum, cum neq; usu aliquid, & ingenio parum possim: quin & diligentia, quàm subsidio mihi comparare soleo, temporis angustia obstiterint: deniq; etiamsi horum nihil esset, mens tamen mea tristissimo illo nuncio afflictà ita obstupuerit, ut nò modò ad meditando cogitationes meas non componere, sed ne loqui quidem possim. Tacerem autem libentissimè, & uultus potius indicio animi mei dolorem apud vos testatum facerem, quàm meæ uocis præconio infantia meæ testes colligerem: nisi ea ab Illustrissima domo Saxonica in me profecta essent beneficia, ut longè facilius visum mihi fuerit quamcunq; potius plagam aliam accipere, quàm cuiquam non satis gratus uideri.

Et tamen ita orationem meam temperabo, ut de uerissimis iustissimisq; PRINCIPIS nostræ laudibus dicendi prouinciam alijs relinquam mihi  
lamen-

lamentandi partes sumā, & quantas quamq̄ gra-  
ues lugendi caussas habeamus, paucis ostendam.

Quamquam ea est doloris mei magnitudo,  
ut ne hoc quidem satis grauer facere me possem  
existimem. Quò meliori mente, Pro Rector Ma-  
gnifice, Magnifice designate Rector, Illustres &  
generosi Domini Barones, ceteri item Viri Clarif-  
simi, vos deniq̄, hospites & iuvenes ornatissimi,  
audire verba mea oportebit, ut, quantum faculta-  
tis mihi partim conscientia imbecillitatis meae, par-  
tim doloris detrahet acerbitas, tantū animi de ve-  
stra erga me humanitate cōcepta spes subministret.

Vnde igitur potius querelam meam ordiar,  
quàm ab ea commemoratione, qua, quot & quan-  
tarum virtutum presidij Illustrissima PRIN-  
CIPIS nostra ex hac vita decessus nos orbārit,  
quàm breuissimè exponam?

Nata fuit, ut scitis, Illustrissima PRIN-  
CEPS nostra SOPHIA ex generosissima illa  
stirpe Ducum Wirtembergensium & Tecciorum  
Comitum Montis Pelicardi: cuius ego laudes si le-  
uiter solummodo delibare mihi proposuissem, quan-  
tus obsecro mihi se ad dicendum campus aperiret?

Quid

Quid enim ego vel antiquissimos huius familia au-  
tores, qui partim ipsi Reges atq; Imperatores, par-  
tim ex illis nati fuerunt, recenseam? Quid EBER-  
HARDUM BARBATUM, qui primus in  
hanc familiam ducatus Wirtembergensis hono-  
rem attulit, commemorem? Quid matrem huius  
MECHTILDEM LUDOVICI primum  
Wirtembergensis Comitis, post vero ALBERTI  
AVSTRIACI coniugem? Cuius instinctu mariti-  
tus posterior Friburgensem: filius EBERHAR-  
DUS Tubingensem Academiam fundavit. Quid  
VDALRICUM huius nostrae PRINCIPIS avum?  
qui periculosissimo suo & Ecclesiae tempore BREN-  
TIVM Halae Sueuorum exulantem hospitio excepit,  
& nihil non egit, nihil non tulit, ut Euangelij lu-  
cem, quae in sua ditione effulserat, retineret ac tuere-  
tur. Quid CHRISTOPHORUM eiusdem patrem?  
cui nihil tam cura fuit, quam ut doctrina religio-  
nis, extirpatis haereticarum opinionum monstris,  
longè lateq; propagaretur, & ad posteros quoq; in-  
corrupta & integra transmitteretur. Clementia  
verò ac beneficentia ita ille subditorum suorum ani-  
mos sibi deuinxit, ut nulla re magis stipatus ac mu-

B

nitus

nitus videretur, quam suorum caritate ac fide, qui  
etiam corporum suorum obiectu ipsius salutem re-  
demturi fuissent. Quam paterna laudis heredita-  
tem generosi Principis generosus filius L V D O V I-  
C V S, is, qui nunc rerum potitur, ita adiit, ut pre-  
clara eam accessione doctrina & heroicarum vir-  
tutum aliarum auxisse & augere indies videatur.  
Huius enim potiss. consilio secundum D E V M effe-  
ctum est, ut corruptelis illis doctrinae religionis,  
quae alicunde in has terras inuecta indies magis  
magisque processura videbantur, maturè iretur ob-  
uiam, & prodiret D E I munere, approbantibus  
multis potentiss. ac religiosissimis Electoribus,  
Principibus, Comitibus, Dominis ac ciuitatibus,  
liber ille, qui puroris ac verè Lutheranae doctrinae  
summam complectitur: veras sententias sacra-  
rum literarum autoritate & Orthodoxae antiqui-  
tatis testimonijs confirmat: falsas iisdem firma-  
mentis refutat.

Ex hac igitur familia nata cum sit Illustrissima  
P R I N C E P S, non est mirum eam multis eximijs  
virtutibus cumulata in ore & sermone omnium  
semper fuisse. Non enim illa sunt ornamenta ma-  
tronarum illustrium, quae vulgo existimantur: exi-  
mia:



Ac primum quantum pietas ipsi cura cordiq<sup>3</sup> fue-  
rit, vel ex eo cognosci atq<sup>3</sup> intelligi potest, quod à  
prima usq<sup>3</sup> etate in ea primum familia, ut dixi,  
suscepta educataq<sup>3</sup> est, quæ initium & finem prin-  
cipatus sui in pietate constituit: quæ syncerioris do-  
ctrina asylum & arx semper est iudicata. Itaq<sup>3</sup>  
pietatem PRINCEPS nostra non accepit, sed unã  
cum nutricis lacte hausit: non didicit, sed imbibit:  
ad quam natura quodammodo eam genuit, forma-  
vit educatio, doctrina instituit, domest. corũ exem-  
plorum copia confirmavit. Quid? quod in eam de-  
inceps familiam translata insitaq<sup>3</sup> est, cuius veluti  
propria est vera religionis possessio, defensio, propa-  
gatio. Habuit ea FRIDERICVM SAPIENTEM, Saxo-  
niæ Electorẽ, sub cuius patrociniõ primùm Evan-  
gelij lux exorta est: Habuit JOHANNEM huius fra-  
trem atq<sup>3</sup> in septemviratu successorẽ, qui tum alijs  
modis omnibus, tum præcipuè in comitijs Augustã-  
nis Evangelij doctrinam propagavit: Habuit JO-  
HANNEM FRIDERICVM I. Electorem, qui  
pro vera religione coniuge & liberis privari, im-  
perij dignitate exui, patria, populis, subditis &  
bonis omnibus carere, quàm fidem & confessionem,  
abnegare maluit: Habuit JOHANNEM GUIL-  
HELMVM

HELMVM, Illustrissimi PRINCIPIS nostri pa-  
rentem, & JOHANNEM FRIDERICVM III,  
qui singulari constantia exemplo à vera religione  
nec promissis Imperatoris abduci potuerunt, nec de-  
terri minis: qui quanto studio corruptelas omnes  
cum DEI verbo pugnantes extirpare conati sint,  
omnibus notum est. De JOHANNES GUILIEL-  
MO beatiss. ac feliciss. memoria dubitari certè po-  
tuit, utrum Imperator in armis esset fortior,  
an gubernator in toga prestantior, an deniq; Theo-  
logus sacrarum literarum peritior. Nam  
& octies penè sacra Biblia legendo confecit, & in  
lectione sanctissimorum operum Reuerendi viri  
Dn. Doct. LUTHERI, Elia nostrorum  
temporum, dies noctesq; est versatus. Habet  
eadem familia etiamnum hodie Illustriss. Princi-  
pem JOANNEM FRIEDERICVM II.  
Virum planè dignum, cui pax & felicitas diutur-  
na cum summa potentia contigisset: adeò religioni  
literisq; prouehendis à primis usq; pueritia incu-  
nabulis semper fuit addictissimus. Hic unà cum  
Illustriss. Fratibus doctrinae veritatem tum gra-  
tie Caesaris, tum omnibus, quae imminebant, peri-  
culis anteposuit. Hic unà cum iisdem Fratibus

B

3

hanc

hanc *Academiam* eo potiss. consilio instituit, ut  
officina esset, in qua *cœlestis sapientia* viva voce  
& scriptis illustrata in omnes vicinas regiones  
propagaretur. Huius in ista fortuna, cuius co-  
gitatione meritò omnes turbamur atq; ingemisci-  
mus, quæ iam per annos *XXIII.* existimantur  
fuisse studia alia, quàm scripturæ sacræ & doctri-  
næ cœlestis? Ut meritò cum *Dauid* exclamare  
possit: *Nisi lex tua delectatio mea, tunc perissem*  
*in afflictione mea.* His verò parentibus nati *Flu-*  
*strissimi PRINCIPES* nostri, *Dn. FRIEDERICHVS*  
*GVI LIELMVS, Dn. JOHANNES*  
*CASIMIRVS, Dn. JOHANNES, & Dn.*  
*JOHANNES ERNESTVS, Duces Saxonie,*  
*&c. Domini nostri Clementiss.,* quanto studio ma-  
iorum suorum vestigijs insistant, nemini ignotum  
est, nisi cui ipsi sunt ignoti. Nam siue *Ecclesias*  
respiciamus, synceram in ijs doctrinam vigere,  
& disciplinam veterem restitutam esse animad-  
uertimus: siue scholam hanc intueamur, quam ipsi  
munificentia sua alunt, augent, ornant, synceros  
quoq; in ea doctores amplissimis stipendijs condu-  
ctos cernimus. *FRIEDERICHVM* quidem

GVI-



GUILIELMUM constat non modò assiduè sacros  
libros euoluere, sed etiam vberiores ijs commenta-  
rios adiungere.

In talem igitur familiam translata cum sit  
Illustriß. PRINCEPS nostra, domesticis etiam  
et quotidianis exemplis tum Illustriß. coniu-  
gis, tum socrus suæ, vidua Illustriß., mulieris  
omnium post hominum memoriam religiosissima  
exemplis excitata: poteritne quisquam dubitare,  
quin à pietate illa, ad quam à primis usq; annis e-  
docta atq; educata fuerit, ne tantillum quidem re-  
miserit? Quanta quidem sedulitate atq; attentione  
publicè de sacro loco docentes audierit, quanta de-  
uotione sacra DOMINI cœna usa fuerit, quanto  
amore sacrosanctum Ministerium amplexa, ne-  
minem nostrum ignorare arbitror. Unum illud  
preterire non possum, quod auditione accepi non  
dubia, cum ante triennium Illustriß. duobus Prino-  
cibus ac Dominis, Dn. JOANNE GUILIEL-  
MO, et Dn. FRIEDERICO, beatæ memoriæ,  
designatis patriæ patribus immaturè et quasi in  
primo vitæ aditu è rebus humanis exemptis, parens  
Illustriß. FRIEDERICHVS GUILIELMVS,  
Domi-

Dominus noster clementiss. in summo, ut facile  
existimari potest, merore versaretur, adeo effi-  
cacibus consolationibus ex Israël fontibus hau-  
stis **P R I N C I P E M** nostram Illustrissimum coniu-  
gem suum recreasse, ut dubitari posset, utrum o-  
ratione ipsius pietatis & ardentis in **D E V M** fidei  
plena, an exemplo potius pientiss. fœmine animus  
huius fuerit confirmatus. Quid multa? Mul-  
ta, dum viuunt, simulare homines possunt: cum  
morti proximi sunt, cum ad extremum spiri-  
tum ventum est, erumpit, quicquid antea fuerat  
occultatum: simulationi aut dissimulationi nullus  
est locus. Hic igitur Illustrissima **P R I N C E P S**,  
simulatq; ex catarrho ad pectus decumbente peri-  
clitari se animaduertisset, primum omnium ex Sy-  
racida precepto concionatorem aulicum vocauit:  
qui cum aduenisset, quãuis ipsa debilitatis iam ac  
fractis esset viribus, neq; decumbere tamen, neq; se-  
dere voluit, sed, ad testandam pietatem suam erga  
Deum, erga Ministerium reuerentiam, non ni-  
sistans veniam petijt suorum peccatorum, & vi-  
atico se corporis ac sanguinis **C H R I S T I I E S U**  
ad beatam ex hac vita migrationem instruxit.  
Postea

Postea verò non neglectis ijs recuperanda valetu-  
dinis adminiculis, quæ ex arte Medica peti pos-  
sunt, cum ea à vi morbi superari intelligeret, ad  
Flustrissimum coniugem conuersa, erecto, ut po-  
tuit, iam semimortuo capite: O carissimum mihi,  
inquit, pectus: Venit, venit iam tempus, quo ita  
volente DEO à complexu tuo et sobolis nostræ abs-  
trahor: Quod tu quidem ita feres, ut decet ani-  
mum pium & verè Christianum. Neq; enim  
moriendum mihi est, sed miseria potius breuis ac  
momentanea cum æterna beatitate, labor cum qui-  
ete, dolor cum letitia, mors deniq; cum sempiter-  
na vita, quæ sola verè vita existimari debet, com-  
mutanda. Duo tantùm hæc per fidelissimam istam  
dextram tuam à te peto: primum, ut quæ diuino  
beneficio superstes nobis est soboles, eam tu unicè  
commendatam tibi habeas, atq; in id toto pectore  
incumbas, ut ad religionem & cultum diuini nu-  
minis omni cura erudiatur & informetur. De-  
inde ut in ea doctrinæ veritate, quam in hunc usq;  
diem tota mente amplecteris, constanter profite-  
ris, defendis acriter, studiosè propagas, infractò  
atq; inuictò animo ad extremum usq; spiritum  
per-

persistas: idq̄s ideo, ut quemad: in hoc seculo, quo-  
ad DEI munere permissum nobis est, coniunctis-  
simè viximus: ita in altera etiam vita denuò con-  
iungamur, coniuncti ea letitia perfruemur, quam  
neq̄s imminuere satietas, neq̄s dolor ullus turba-  
re, neq̄s fortuna euertere, neq̄s dies abolere possit.  
Quo animo Illustriss. Principem fuisse putatis,  
cum ex lectissima coniugis suae ore has voces audi-  
ret, hac pia desideria cognosceret? An à lacry-  
mis eum temperare sibi potuisse existimatis? O  
princeps virtutum omnium pietas: quid non efficis,  
ubi semel religiosas ac pias mentes occupasti? Te-  
nebatur pientissima Princeps vi morbi defixa in  
lecto: magnitudine iam morbi vires omnes fractae  
erant ac debilitatae: cum nihil ipsa de se amplius so-  
licita, quasi exploratum iam habens, quo migra-  
ret, quot & quanta bona CHRISTI merito  
consecutura mox esset, de suis tantum & de Ec-  
clesia anxie cogitavit: cum, quicquid in moribun-  
do corpusculo supererat virium, eò contulit, ut  
pietatem suam & sincerae religionis amorem te-  
statum faceret. Quid hanc creditis viventem &  
valentem fecisse, qua ne mori quidem, nisi synce-  
ritatem

ritatem doctrinae, quantum potuit, prouehendo,  
voluerit? Itaque nihil mirum est, quod pietati isti  
placidissimus ex hac vita exitus respondit.

Sed me tam rarae pietatis in PRINCIPIS  
nostra admiratio in hoc uno capite aliquantò diu-  
tius immoratum breuiorem in reliquis esse iubet.  
Itaque à vobis, qui adestis, peto, ut temporis me  
habere rationem sinatis, & quia breuius dicen-  
dum mihi est, quam res tanta, quae supersunt, di-  
ci queant: etiam atque etiam vos rogo, ne rerum  
magnitudinem ex oratione mea, sed ex ipsarum  
pondere potius aestimetis.

Pium & religiosum PRINCIPIS nostrae  
animus virtus quidem omnis, omnis vitae sancti-  
monia comitata est: Praecipue vero id, quod flu-  
stris. coniugem suam ita carum habuit, ut nun-  
quam ab eius latere discederet, essentque verè, quod  
dicitur, σώματα μὲν δύο, μία δὲ ψυχή. Nimirum  
non oculis illa nupserat, quibus corporis formam  
poterat contemplari: neque digitis, quibus opes &  
potentiam supputare: sed mente, mente inquam,  
verè pia, miti, sincera, candida, uno verbo  
Virtembergica: qua pietatem & veram vir-

tutem Sponsi sui intueri poterat. Itaq; certissi-  
ma ille veri amoris nota, quæ alioqui vix in singu-  
lis singula reperiuntur, in huius nostra erga mari-  
tum suum Illustriss. amore inerant uniuersa. Ete-  
nim non erat ille vulgaris & peruagatus, sed sin-  
gularis & rarus: non simulatione & inani specie  
fictus, sed ex intimo animi sensu profectus: non re-  
missus aut qualiscunq;, sed flagrantiss. atq; arden-  
tissimus: quam ipsa non necessitate aliqua impul-  
sa, aut vi coacta, sed iudicio ducta vltro suscep-  
erat. Præterea idem ille amor ita erat Gratijs &  
morum suauitate temperatus, ut neq; turbaret  
eum morositas, neq; fastidium interpellaret: ita  
syncerus atq; integer, ut neq; voces istæ, ME V M,  
NON ME V M, ex quibus omnes ferè querelæ, o-  
mnes dissensiones manant, unquam audirentur,  
neq; suspicionibus ullis ullus relinqueretur locus.  
Multa reperiuntur passim tum in sacris, tum in  
profanis literis amoris fideiq; coniuugalis exempla:  
Verùm in hoc coniuugio ita rara & inusitata quæ-  
dam amoris magnitudo, suauitas, integritas emi-  
nuit, ut paucissima ex omni seculorum memoria  
huic conferri, nullum anteferri posse videretur.

Iam

Jam verò ex eodem pietatis fonte etiam ob-  
servantia & obsequium illud, imò amor ille & fi-  
des illa manavit, quam PRINCEPS nostra,  
quamdiu vixit, ita probavit socrui suæ, viduæ fl-  
lustrissima, lectissima femina, ut in hac colenda  
maternam sibi sanctitatem ipsa constituisse vide-  
retur. Cumq; eandem ante annum gravi & pe-  
riculoso morbo decumbentem animadvertisset:  
tanta diligentia ei præsto fuit, ut ad serviles etiam  
operas non raro sese demitteret, neq; unquam cui-  
quam ex adstantibus plus laboris imponeret,  
quam sibi ipsa sumeret. Quod si hærent ac stupent  
hominum animi, cum filia Cimonis patrem suum  
confectum senio exerto ubere in custodia alentis  
imaginem pictam oculis aspiciunt: non minus pro-  
fecto stupeant necesse est, qui admirandam huius  
tam insolitæ nurus erga socrum fidei picturam a-  
nimo intuentur.

Jam quid de beneficentia erga agrotos & pau-  
peres dicam? quorum ego iam eiulatus mihi au-  
dire videor, non dominam se, sed patronam: non  
principem, sed matrem amisisse quiritantium.  
Elisabethæ eius, quæ Rege Hungariæ nata, LU-

D O V I C O Thuringia Landgrauio nupsit, tantam fuisse erga miseros omnes beneficentiam accepimus, ut perijisse sibi eum diem duceret, quo non insigne aliquod misericordia & liberalitatis sue specimen edidisset. Laborabant aliqui rei familiaris angustia: subueniebat. Nudi erant aut male vestiti: vestes mittebat. Esuriebant: eleemosynam dabat, neminemq; à sua facie tristem discedere patiebatur. Ægrotabant: adibat ipsa humaniter, consolabatur benignè, tum alimenta tum medicamenta abigendis morbis & reparandis viribus idonea liberaliter subministrabat, operâ deniq; & re ipsa raro quodam humilitatis exemplo eos subleuabat. Defuncti erant inopes: funus ipsa suis impensis procurabat. Nudum quempiam efferrî ad sepulturam forte fortuito in eum incidens vidit: velo capiti suo detractò corpus exanime texit. Regis erat potentiss. filia: & tamen nere, texere ac muliebres operas alias manibus suis exercere non desinebat, non ut sibi ipsi vestes preciosiores aut ornamenta aliqua alia pararet, sed ut haberet, unde benefica esse & largiri egentibus, nudos vestire, egros recreare, defunctos sepelire posset. His tot &

tantiis



tantis inaudita prius pietatis, misericordia, liberalitatisq; documentis ita in sui admirationem omnes homines conuertit, ut uiuens pauperum mater salutaretur, mortua superstitione istorum temporum in Diuarum numerum cooptaretur.

Nostra haec Dux SOPHIA, cum Elisabetha illius exemplum ad imitandum sibi proposuisset, nomen illud Diua superstiosum, quod sibi non deberi intelligeret, non appetijt, tributam à Deo Principibus Deorum appellationem, quam nulla equè re, atq; beneficentia, tueri se posse sciret, facto & opere comprobare, & ut ille ait, tanti nominis mensuram implere uoluit.

Sed cuius est tanta ingenij praestantia, tanta dicendi vis, tantum orationis flumen, ut haec tanta tamq; eximia decora & ornamenta nostrae PRINCIPIS, non dico uiuis coloribus exprimere, sed delineare solum & adumbrare leuiter possit? Quò grauius dolendum nobis est, quando & has, quas dixi, virtutes omnes, & quas ne attigi quidem, plures alias una hora nobis eripuit.

Poterat

Poterat Illustrissima PRINCIPIS pietas  
muri & propugnaculi instar esse, quæ DEI ira &  
iustissima animadversioni sese opponeret: At euer-  
sum est hoc propugnaculum. Poterat amor  
& fides ipsius Illustrissimo coniugi & socruī sola-  
tio esse: At sublatum hoc è medio est. Pote-  
rat misericordia eiusdem ac liberalitas miseris  
atq; afflictis adiumento esse: At adiumentum  
illud <sup>subi</sup> actum est. O summam rerum huma-  
narum inconstantiam: O fallacem hominum spem,  
& naturæ nostræ fragilitatem: O acerbissimam  
mortis violentiam: cuius tanta vis est, ut  
publica, quæ immortalis esse debebat, in unius se-  
pe mortalis hominis vita consistere: postquam is in  
vitis esse desierit, eadem cum eo morte perempta,  
eodem funere elata esse videatur.

Perfpicitis opinor, auditores, quàm sit hic Il-  
lustrissima PRINCIPIS nostræ obitus acerbus  
Ecclesie, luctuosus familia, grauis afflictis & no-  
bis omnibus. Nunc quæ causa sit huius tam in-  
esperatæ calamitatis paulisper queso mecum per-  
pendite. Neq; verò est, quod abeamus lon-  
gius. Nostra hæc culpa est: nostris flagitijs &  
sceleri-

sceleribus hanc pœnam nobis, velut Cacias nubes,  
attraximus. Descendat unusquisq; in se, cogi-  
tationemq; piij hominis ad punctum temporis susci-  
piat: quis sensus, quæ mens sua sit, quid meditetur  
dies noctesq;, quid loquatur, quid agat, attenti-  
us examinet. Quàm fecunda hodie apud omnes  
omnium ordinum & ætatum homines scelerum se-  
ges expullulat? Parentes filij, Magistratum,  
subditi, discipuli Præceptores venerari atq; in o-  
culis ferre: si quid iussissent, dicto audientes esse,  
& summa voluntate ijs obtemperare debebamus:  
At contemnimus, at maledicimus, at reueren-  
tiam obœdientiamq; omnem abijcimus, deniq; pro  
summis in nos meritis non modò nullam, sed &  
malam referimus gratiam, beneficia iniurijs con-  
pensamus. Fratrem suum unusquisq; nostrum  
eadem, qua seipsum, benivolentia caritate prose-  
qui debebat: at odio prosequitur. Pacem cum  
omnibus colere debebamus: At nos ultrò dissidia  
primus, simultates alimus, bella excitamus. Fu-  
bet Deus subleuare inopes: at eos nos non deser-  
imus solùm, sed & exhaurimus: Subuenire mise-  
ris: at nos miseras exprobramus, exasperamus,  
cumulamus, parieti deniq; inclinato incumbimus.

D

Iubet

Jubet Deus innocentes defendere: at plaris apud nos aut gratia, aut invidia, aut commodum est, saepe leuissimum, quam iustitia & innocentia: Oppressos liberare: at id non modo non facimus, sed etiam ultrò alios opprimimus. Debebant in omni oratione, gestu, vestitu, actione deniq; omni elucere veritas, candor, modestia, at nihil usquam syncerum, nihil apertum, simulata omnia, omnia, furo & fallacia plena: dominatur ubiq; calumnia, viget luxuria, effert se arrogantia, eminent ambitio, superbia & fastus regnant.

In castitate & sanctimonia unusquisq; vas suum possidere debebat: at quantum ubiq; impuritatis, obscenitatis, libidinum, stupri adulterij?

Atrocita sunt haec: sed longè atrocius illud, quod in tanta Euangelij luce nulla cognoscendi DEI curam tangimur, in quauis re potius alia, quam in prepotenti DEO fiduciam collocamus: ibi timemus, ubi timor non est: numen, quod reuereri & timere debebamus, cum Epicuri de grege porcis pro nugis, pro fabulis habemus. Ut bonorum omnium auctori & conservatori DEO gratias ageremus, ut assiduis ab eo atq; ardentibus precibus omnis generis bona peteremus, non modo

modo ipsa DEI precipientis vox nos debebat ad-  
ducere, sed & promissio inuitare, utilitatis confi-  
deratio flectere, necessitas, quæ publicè priuatimq;  
nos urget, cogere, Diabolorum & hostium, qui  
nobis undiq; imminent, struunt insidias, in per-  
niciem nostram conspirant, vita & fortunis exiti-  
um parant: horum inquam omnium multitudo,  
potentia, furor impellere poterat: At nos non  
modo aut nunquam, aut rarò, aut frigide vota ad  
DEVM facimus, verùm etiam sanctissimo ipsius  
nomine ad contumelias, ad execrationes, ad de-  
iurationes & periuria nefarie abutimur. Habe-  
mus DEI benignitate synceros verbi diuini do-  
ctores, qui puram religionis doctrinam inculcant  
fideliter, corruptelas ei aduersantes magno & con-  
stanti animo refutant: qui Legis fulmine consci-  
entias nostras terrent, ut ad serias cogitationes de  
resipiscentia suscipiendas nos adigant: rursus vo-  
ce Euangelij mentes perterrefactas erigunt, ut ad  
bene sperandum & ad omnem fiduciã in CHRIS-  
TI Seruatoris merito collocandam nos excitent:  
deniq; necessarias ad emendationem vitæ commo-  
nefactiones assidue inculcant: exemplo etiam no-  
bis præeunt. At nos doctrine puritatem fasti-

D 2 dimus,

dimus, aures nostras Sophistarum mendacijs & clamoribus non obtusas, sed vacuas & patentes præbemus, comminationes non exhorrescimus, promissionibus non mouemur, precibus non flectimur, cohortationibus nullum relinquimus locum. O stuporem, o cecitatem, o adamantinam pectorum nostrorum duritiem, o ingratitude detestandam. Hic peccatorum omnium fons est: huic impietati nefaria ita irascitur Deus, ut totas sæpe gentes funditus evertat.

Itaq; non ideo tantum dolendum nobis est, quod tot tantisque flagitijs ac sceleribus nostris Dei iram in nos concitauerimus, sed etiam quod ita concitauerimus, ut metuendum nobis sit, ne (quod clementer auertat benigniss. Deus) longè grauiorum malorum Ilias atq; πανολεθρία tandem subsequatur. Quotusquisq; enim se peccasse dolet, & non potius peccando voluptatem capit? Quotusquisq; est, qui ad meliorem frugem se recipere cogitet, & non potius pertinaciter in peccatis persistens, ruat in ea magis, quam labatur. Qua de re si sæpius mihi querendum esset, tanta undiq; se ad dicendum offerret copia, ut semper nouus venire possem.

Triste

Triste quidem est, quod in tantas calamitates  
incidimus, quibus hodie premimur, & fere oppri-  
mimur: Tristius, quod culpa nostra incidimus, &  
peccatis, ut incideremus, promeriti sumus: Tri-  
stissimum omnium, quod ne nunc quidem peccare  
desistimus, sed in peccatis perseveramus, & per-  
severando exitium attrahimus. O miseros nos, si  
hac non intelligimus: miseriore, si intelligimus, neque  
tamen resipiscimus. Turbantur Ecclesia: concuti-  
untur Respub: lugent scholæ: saevissimorum hostium,  
qui his omnibus exitium noctes diesque meditantur,  
magnus est numerus, animus crudelissimus, sum-  
ma potentia, astus incredibilis, perfidia denique &  
peius execrandum: Plena est calamitatum, plena  
miseriarum vita communis: urget fames: instant  
morbi pestiferi: malignus ubique est rerum terrâ  
nascentium proventus: squallent agri: mœrent plan-  
tae: deficiunt animantia: Aër venenatis halitibus  
plenus: Cœlum ipsum modo squallidum, modo triste  
ac nubilum. Quot iam ab annis aliquot vidimus  
Cometas? quot chasmata? quot luminum defectus?  
quot prodigia? Non sum, auditores, unus omnium  
maximè credulus. Sed non obscurus rumor est, cir-  
ca hoc ipsum luctuosiss. tempus aras tremuisse. Vi-  
dimus.

dimus oculis nostris aquas ad eum modū turbatas  
infectasq; ut sanguinis riuos effundere viderentur.  
Vidimus Solis faciem admodum tristem & cruen-  
tam propè. Vidimus eodem mense & Luna Lumen  
terra umbrâ hebetari, & Solē ætherea istius terra  
oppositu interuentuq; deficere, atq; ita deficere, ut  
totus propemodum occultari videretur. Neq; ve-  
ro sine peculiari numinis voluntate id factum esse  
putandum est, ut eo ipso penè momento migraret  
è vita Illustrissima PRINCEPS nostra, quo ex  
Luna obiectu Sol ille eluctari cœpit. Voluit scili-  
cet diuina providentia significare, quod in Sole ac-  
cidit tum, idem etiam in Illustrissima PRINCIPE  
eodem tempore accidisse. Nam ut Sol cum de-  
ficere dicitur, nullam quidem luminis sui iacturam  
facit ipse, sed ea, quæ in terra & circa terram  
sunt corpora, viuifico Solis lumine orbata, ma-  
gnam sentiunt cladem ac perniciem: Ita Illustrissi-  
ma PRINCEPS nostra nihil ipsa quidem mali  
passa est, sed ex miserijs huius vitæ eluctata, Solis  
instar in cœlis fulget, neq; vitæ lux ipsi erepta, sed  
data est: verum nobis, qui superstites in terris de-  
gimus, atrociam impendent mala.

Quin igitur expauescimus, & peccasse nos,  
atq;



atq; peccando iram DEI tantopere cūmulasse, se-  
rio dolemus, doloremq; illum nostrum non simula-  
ta ad DEVM conuersione & vitæ nostræ emenda-  
tione testatum facimus? Orbati sumus multis  
magnisq; virtutibus, pietate imprimis Illustrissi-  
mæ PRINCIPIS nostræ, quam Ecclesijs, scholis  
& rebus tam publicis, quàm priuatis harum ter-  
rarum presidio fuisse nullum est dubium. Hu-  
ius tantæ & tam luctuose calamitatis culpam o-  
mnes sustinemus: omnes, quantum in nobis est,  
Principem nostram occidimus. Atq; utinam non  
plura grauioraq; mala ceruicibus nostris immine-  
rent. Etenim capiti non pepercit DEVS: & fu-  
turum putamus, ut reliquis partibus ignobiliori-  
bus parcatur? Nobilis familia DEI iram sensit:  
& reliqua hominum fax immunem se fore spera-  
bit? Si in familia pia, si in sanguine innocente hoc  
accidit, quid de impijs & sceleratis hominibus fu-  
turum arbitramur? De quibus omnibus cum ali-  
quantò attentius cogito, ita ijs moueor, ut partim  
dolor, partim metus finem mihi faciat dicendi.

Te tantum, æterne, omnipotens, misericors  
DEVS, tota mente veneror atq; obtestor, ut quo-  
niam

niam tibi placuit religiosissimam & Illustrissimi  
coniugis sui amantissimam feminam, Illustrissimi  
nostri P R I N C I P I S lateri subtractam, beato-  
rum in caelis hominum & sanctorum Angelorum  
cœtui addere, tu S P I R I T U S A N C T O tuo cle-  
mens propitiussq; ei adsis: tu animo ipsius vias &  
efficaces consolationes suggeras, itaq; eum confir-  
mes, ut, quicquid ex benignissima voluntatis tua  
decreto accidit, id constanter ferat: tu propugna-  
torem hunc Ecclesie tue, scholarum nutricium,  
Patriæ Patrem adeoq; unâ cum eo uniuersam Il-  
lustrissime domus Saxonice familiam diu floren-  
tem atq; incolumem serues: tu Ecclesiam M A-  
T R E M opinionum fluctibus & hostium seuitia  
agitata, tu quassatam Rempub. tu scholam hanc  
mœrentem defendas: tu cœlestem illam S O P H I-  
A M opprimi ne patiaris: tu Posteritati nostræ  
benignè prospicias: tu quicquid pœnarum propter  
flagitia nostra nos premit, aut cervicibus nostris  
impendet, à vita, & fortunis omnium nostrum  
arceas: idq; non propter nos, sed propter nominis  
tui gloriam, ut te propitium Deum patrem no-  
strum, unâ cum filio tuo C H R I S T O I E S U &  
S A N C T O S P I R I T U eternum celebremus.

D I X I.

# INTERCESSIO

M. VVOLF GANGI HEIDERI.



Pectabilis D. Prodecane, Vir clarissime, tua hæc oratio, qua luculenter Illustrissimæ PRINCIPIS obitum deploras, virtutes prædicas, huiusq; mali caput & originem demonstras, procul dubio in auditorum animis aculeos reliquit efficacissimos, (quod de Periclis eloquentia dicebat Aristophanes) & si non omnes, plerosq; tamen ad piam commiserationem, dolorem acerbum, & timorem omninò necessarium flexit.

Equidem tria esse puto, quæ minimè prætermittenda sunt hoc tempore, sed omnibus harum regionum incolis, maximè tamen scholæ nostræ alumnis studiosè facienda.

Nam & graviter lugere nos decet, & ardentè vota facere, & seriò gratias DEO agere, quorum primum debitæ subiectionis est & humanitatis: alterum necessitatis gravissimæ: tertium non simulatæ pietatis.

Lugendi causam habemus geminam, & utramq; sanè in utroq; Principe iustissimam.

Decessit enim in ipso ætatis flore, & cœles-

E

stem

stem ad patriam migravit ILLVSTRISSIMA  
PRINCEPS SOPHIA ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS  
FRIDERICI VVILHELMI Coniunx suavissi-  
sima, cuius tanta fuit erga DEVM pietas, erga  
maritum amor & fides, erga subditos benevo-  
lencia, erga pauperes liberalitas & beneficentia,  
ut ad eam lugubre illud Poetæ carmen optimo  
iure possimus deflectere:

*Cui pudor & iustitia soror  
Incorrupta fides, nudaq; veritas  
Quando ullam invenient parem?*

Hoc stabilitatis præsidio, ornamento digni-  
tatis suæ nostram orbari patriam, nec sine dolo-  
re cogitare, nec sine gemitu dicere possumus.

Illustrissimus verò PRINCEPS iam viduus  
quanto versetur in luctu, non intelligit quidem  
durum illud & agreste hominum genus, qui non  
pluris faciunt suorum obitum, quam congerro-  
nis, aut compotoris abitum: Sed intelligunt bo-  
ni viri, qui tenerum illud ac molle, quod à natu-  
ra nobis insitum, hac stoïca morum feritate obs-  
durescere, & occallescere non patiuntur.

Quamvis enim in ILLVSTRISSIMO  
PRINCEPI nihil sit effœminatum, nihil fra-  
ctum aut abiectum, nec is unquam ulla mollitie  
liquefcere, aut fluere consueverit: tamen in tam  
acerbo & gravi casu, à dolore & ægritudine sibi  
tem

temperare nec potest, si debeat, nec debet si possit, præsertim cum *θείοι άνδρες* ut vocant Græci, valdè sint *πολυδάκρυες*, & tenerrimo suos amore prosequantur.

Amisit enim **C O N I U G E M** non e multis unam, sed incomparabili pietate & virtute præditam, qua cum amantissimè vixit, & coniunctissimè hoc septennii coniugio, quod mera fuit turturum concordia, planè felix & beatum, si una cornicularum vivacitas accedere potuisset.

Amisit eam, quæ omnino generosæ viti, & oleæ feraci, propter felicem & raram fœcunditatem fuit c

Denicq; amisit eo tempore, quo soboles mascula, spes domus antiquissimæ, effigies virtutis paternæ, hæres ditionis avitæ non tantum expectabatur votis omnium, sed etiam spe propè certa præcipiebatur.

Huius itaq; decessu Coniugis **PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS**, non tam à suo ipsius corpore disiunctus, quam ab anima propria distractus est, & totus à se ipso divulsus, quod sine acerbissimo doloris sensu fieri non potuit.

Vt autem ex capite, si malè incipiat habere, & aliquid morbi sentiat, dolores in totum corpus reliquum diffunduntur, & in singula membra redundant: ita luctus & mœroris huius, quem

PRINCEPS capit ILLUSTRISSIMVS, non  
minima pars ad subditos redire debet, ut onus  
hoc si nostra *συνταξία* quadam ex parte allevetur,  
eò facilius ab Illustrissimo Principe sustineri, &  
perferri possit.

In hoc itaq; luctu, & publica calamitate  
quid aliud faciendum nobis putabimus? quàm  
ut confugiamus ad sacram invocationis anchoram,  
& ad opis divinæ portum respiciamus.

Hoc igitur secundum erit, ut vota sedulò faciamus  
ad Deum, quem ad iram iustissimam impietate  
nostra provocavimus, & ardentissimis ab  
ipso gemitibus petamus, ut gladiū vindictæ oleo  
commiserationis exacuat, & imminentes cervicibus  
nostris pœnas, ac iam lapsuras clementer à nobis  
prohibeat, avertat, abigat, eamq; singulis mentem  
largiatur, ut verbo Potius monitis paternis duci nos,  
quam verberibus & plagis herilibus trahi ad pœnitentiam  
salutari & patiamur.

Eundem supplicibus illustri Principem in his ærumnis  
solationis reficiat, fortitudinis erigat, spei confirmet,  
ne dolore frangatur, aut huic mœrori succumbat, sed his  
malis eluctetur feliciter, & ad extremam usq; senectutem  
has terras placidè ac anquillè gubernet.

Deniq;

Denique gratias & habere Deo, & agere  
maximas debemus, quod in hoc ipso tot malo-  
rum concursu, suæ non obliviscitur misericor-  
diæ, sed eam quotidie novam & recentem veluti  
matutinum Solem exoriri patitur.

Magna sunt & varia bonorum genera, quæ  
nobis subduxit non factorum invidia, cuius ferè  
Dei providentiam insimulare solemus: Sed nos-  
tra nobis culpa subtraxit & eripuit. Et longè  
tamen plura sunt, uberiora longè, quæ divina  
nobis benignitas, non quia digni, sed quia prorsus  
indigi, reliquit.

In vivisse desit PRINCEPS Illustrissis-  
ma: atrox malum, & vulnus quod vix coire, &  
obduci posse videtur. At verò quanti tandem  
æstimandum putamus hoc beneficium? quod vi-  
vunt & valent, vigent & florent ILLUSTRISSIMI  
SAXONIAE PRINCIPES PATRIAE PA-  
TRES, Ecclesiarum & Scholarum nutritii, legum  
vindices, pacis custodes, & ut cum sacris loqua-  
mur, scuta terræ, & arbores proceræ, sub quibus  
subditi tuto quiescere, securè pasci, & omnes  
ingruentium tempestatum iniurias feliciter de-  
clinant.

*calores, magna siccitas,  
Terræ agit rimas, & succis aret ademptis,  
Pabula canescunt, cum frondibus uritur arbor.*

E 3

Intee

Interim verò Ecclesiae hortulus saluberrimo doctrinae caelestis rore madescit, & imbre largo rigantur depacti in terram furculi, qui mox caelis inferendi sunt, & inferendi.

Magnus aëris squallor est, & morborum contagia passim serpunt, ac ignota lue hominum simul & brutorum corpora sternuntur. Contra verò Deus omnium errorum virus pestilentissimum à nostris pellit Ecclesiis, à scholis abigit, & ardentissima doctrinae purioris flamma penitus absumit.

Magna sterilitas est, agrorum & vinearum, & tanta praeforibus esse putatur annonae charitas, ut ad veterum glandes, & Acheloia pocula res nobis reditura videatur.

Nihilo tamen minus uberrimus est in schola nostra proventus, omnis pietatis, virtutis, & eruditionis, qui quam diu non defecerit, neque veritas deerit Ecclesiae, neque tranquillitas Reipublicae, neque felicitas omni vitae.

Hoc beneficium hodierno celebramus die, eiusque documenta damus, & pignora quasi deponimus hos octodecim viros ac iuvenes optimos & doctissimos, qui in pietatis & bonarum literarum studiis ea diligentia versati sunt hactenus, & in examine privato ac publico suam ita nobis modestiam, & eruditionem probarunt,  
ut mis



ut minimè dubitemus, quin olim & ῥητῆρες μύθων  
& περικτῆρες ἔργων futuri sint, quibus velut gladio  
Delphico ad omnia cum Ecclesiæ, tum Resp:  
magno suo cum emolumento, & ornamento uti  
possint.

Hanc ob causam ab Amplissimo nostro Col-  
legio digni iudicati sunt, quibus in philosophia  
summus honoris gradus conferretur, ut & eos-  
rum, quæ multis didicere laboribus, aliquem  
fructum reportarent, & ad ea, quæ cognoscenda  
superfunt, quotidianum incitamentum, & flagis-  
tatorum assiduum haberent.

Hos itaq; iuvenes Ornatissimos, Spectabi-  
lis D. Prodecane, iussu Collegii philosophici  
tibi etiam atq; etiam commendo, & officiosè pe-  
to, ut pro auctoritate, quam huius tibi ratio mun-  
neris imponit, eos Philosophiæ magistros crees,  
& renuncies.

Augustus imperator quoties liberos suos  
populo commendaret, toties hanc solebat ad-  
dere clausulam: Si merebuntur.

Ego verò Spect: D. Prodecane non hoc po-  
stulo, ut hos tibi iuvenes commendatos habeas,  
si merebuntur: sed ut eos ornes quia merentur,  
illud est, quod peto.

In literis enim ea doctrina sunt, & erudi-  
tione præditi: in moribus ea pietate & integri-  
tate:

147  
497  
on

tate ornati, ut plurimum opis opera sua allaturi  
sint & Ecclesiis, & Rebuspub: ad quas hæc omnia  
beneficia redibunt, quæ in candidatos hosce colo  
locaveris.

Ipsi certè gratitudine sua agros imitabuntur  
fertiles, & magno cum fœnore, quidquid accer  
pere, reddent. Quin & totum collegium nos  
strum hoc tibi nomine perpetuò obligatum &  
obstrictum habebis.

Quod reliquum est, oramus toto pectore  
Filium Dei sedentem ad dextram æterni patris,  
ut in his terris ad omnem usq; posteritatem an  
nunciet verbum suum Iacob, Iusticias, & iudicia  
sua Israël: ut confortet seras portarum nostra  
rum, & ponat finibus nostris pacem, ac ad ip  
sorum frumenti satiet nos.

Sic enim & in hac vita militantes, & in se  
cutura triumphantes lætissimum *εὐχαι. 1511*  
accinere poterimus: Non fecit taliter omni na  
tioni, & iudicia sua non manifestavit eis.

F I I N S.



M.C.

ri  
ia  
ol

ur  
ce  
os  
&


re  
is,  
an  
cia  
ra  
p

fo  
w  
na

X 2207/103







R. 65, 46 ORATIO LVGVBRIS  
In obitum



ILLVSTRISSI-  
MÆ PRINCIPIS AC  
DOMINAE, D. SOPHIAE,  
DVCIS SAXONIAE, &c.  
natae ex Illustriss. familia VVir-  
tembergica :

ILLVSTRISSIMI PRIN-  
CIPIS AC DOMINI, D. FRIDE-  
RICI G V I L I E L M I, DVCIS  
Saxoniae, Landgrauj Thuringiae, Marchionis Mis-  
niae, &c. Domini nostri clementissimi,  
coniugis lectiss.

*Habita publicè in Ienensi Academia Prid. Non. Au-  
gusti in renunciatione XV III.  
Magistororum*

à

PRODECANO COLLEGII PHILOSOPHICI  
ZACHARIA BRENDELIO MED.  
Doctore, Physices Professore:  
Cui adiuncta est



*Intercessio in eodem Actu pro more habita à M.  
V V O L F G A N G O H E I D E R O, Pro-  
fessore itidem publico. Anno  
1590.*



J E N Æ

Typis Tobia Steinmanni.